PANEGYRICI GRÆCUS ET LATINI

ORATIONE PEDESTRI ET NUMERIS ADSTRICTA SCRIPTI,

GERMANICI ITEM HEROICO CARMINE COMPOSITI,

QVIBUS

GYMNASIUM CRUCENA-CENSE

IV. Id. Septembr. cIↄIↄccvI.

Initiatum est,

à

SCHOLASTICA JUVENTUTE

IN

GYMNASII

AUDITORIO MAJORE

RECITATI.

Francofurti, Typis Antonii Heinſcheiti.

PRÆ-NOBILISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS DOMINIS,

Dn. *JOH. MICHAELI OTTONI*, Serenissimi Principis Electoris Palatini Consiliario, & Præfecturæ Crucenacensis Præsidi Gravissimo,

Dn. *ANTONIO COLSON*, Serenissimi Principis Badensis Præfecturæ Crucenacensis Præsidi Gravissimo,

Dn. *PHILIPPO PETRO FLAD*, Serenissimi Principis Electoris Palatini Consiliario Cameræ Gravissimo,

Dominis & Patronis suis summâ observantiâ colendis.

ADMODUM REVERENDIS ET CLARISSIMIS DOMINIS,

Dn. *PHILIPPO HIERONYMO ANDREÆ*, Ecclesiæ Evangelico-Reformatæ Crucenacensis Pastori disertissimo & vicinarum Inspectori vigilantissimo,

Dn. *WOLFFGANGO CHRISTOPHORO SIXTO*, Ecclesiæ Evangelico-Reformatæ Crucenacensis Pastori disertissimo,

Fautoribus & Fratribus suis in Christo venerandis.

PRÆSTANTISSIMIS ET DOCTISSIMIS DOMINIS,

Dn. *DANIELI OCHSNERO*, Gymnasii Crucenacensis Conrectori,

Dn. *JOH. JACOBO PISCATORI*, Gymnasii Collegæ,

Dn. *JOH. ADAMO FABRO*, Gymnasii Collegæ,

Amicis & Fautoribus suis honorandis

D. D. D.

Jacobus Daniel Humbertus.

* * * * * *
* * *

OFfero demissè Vobis recitata Lycéo
Verba, viri Celebres, cùm densa frequentia nostrum
Audivit precibus Ludum votisque sacrari.
Me non una movet ratio, quâ dedico Dicta,
Gymnasio caro queîs prospera cuncta precamur.
Illustres Domini, quibus est commissa regendi
Et cives & ruricolas agrosque potestas,
Accendit nostros præsentia vestra labores,
Quos tulimus nuper, laudâstis & omnia, nostra
Quæ Schola Romulidûm dixit sermone, Pelasgo
Teutonicoque, suis aures satiavit & odis.
Nomina vestra meo decet & præfigere libro,
Præcones Verbi Divini. Sensit abundè
Affectum mea mens sanum studiumque fidele,
Quod mihi navâstis, vinxit conjunctio firma
Pectora: complexu nunquam divellar amato,
Me licet ad celebres Nicrus jam ducat Athenas.
Et vos, Collegæ, nostri nunc pignus amoris

Sumite. Post varios casus, quos attulit hostis,
Quique Palatinos vexârunt, gaudeo, nostrum
Me repetîsse Solum, vos & constanter amicos
Invenisse. Furor, qui me concedere jussit
Ad Francos, quos Sol oriens illuminat, oris
Excessit patriis: post hunc, Crucenacha, saluto
Te murosque tuos, subitò qui dulcia nobis
Pectora monstrârunt. Semper vos diligo: quamvis
Me Nicer à Vobis rapidus disjungat amicis,
Ætas nulla tamen nostrum temerabit amorem.
Tempora post aliquot, queîs carmina nostra sonorus
Audivit Navus, nunc, Nicer amœne, vocamur
Ad vestras Musas, priùs attamen omnia tectis
Poscere fausta decet, quàm gratas desero terras.
Vos, qui consiliis urbem terrasque juvatis
Urbi subjectas, cœli clementia semper
Dirigat incessum, vitam feliciter omnem
Ducite, præsidio vestro sint omnia tuta,
Oppida pervigili lætentur & arva labore.
Vos, qui tractatis sacra dogmata, vivite: verba,
Quæ facitis, semper divina potentia reddat
Firma, gregemque Dei suavi sic ducite voce,
Ut, levibus spretis, tantùm cœlestia spiret.
Et Collegarum gravibus, Deus Optime, curis
Adsis, continuos Ludi solare labores,
Ut pius evadat cœtus, studiisque politus
Sit patriis magnum terris aliquando levamen.

GYMNA-

GYMNASIUM CRUCENA-CENSE

AD

NAVUM FLUVIUM

FELICI AUSPICIO CONDITUM

Panegyricis Græco & Latinis soluto ligatoque stylo scriptis, Germanicis item Heroico Carmine compositis

INITIARI DECET,

QUOD ETIAM,

DEO VOLENTE,

FIET IN AUDITORIO MAJORI

Die 10. Septembr. CIↃIↃCCVI.

AD QUEM ACTUM,

In quo etiam Discipuli quidam, absoluto vitæ scholasticæ curriculo, Lectionum Academicarum Auditores renuntiabuntur, & alia diligentiæ præmia in Philomusos distribuentur,

MECOENATES, PATRONOS, ET FAUTORES NOBILISSIMOS

EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA

INVITAT

JACOBUS DANIEL HUMBERTUS,

Francothalio-Palatinus, U. D. M. & Gymnasii Heidelbergensis, h. t. Crucenacensis

RECTOR.

TUrrigeras populus cultus qui condidit urbes,
Nobilibus ſtudiis fixit & ille locum.
Quem ratio ducit, bene conſpicit, eſſe locanda
Fundamenta Scholæ, quæ decus urbis erit.
Artibus & linguis juvenis formatus in illa,
Aptus erit patriis ſic aliquando focis.
Si populus verò curam neglexerit illam,
Heu! juvenes ſemper debet habere rudes.
Ex ſtupidis iſtis nullus captabitur urbi
Uſus, eam triſtis caſus ubique premet.
Quæ fortuna regat ſocias feliciter oras,
Si Schola non juvenes excolat arte rudes?
Laudibus hinc doctæ nobis celebrantur Athenæ,
Urbs ea præclaris nobilitata Scholis.
Roma ſuis itidem fuit exornata Lycéis,
Eloquio præſtans docta Palæſtra fuit.
Hinc venére Viri, ſceptris tutela verendis,
Diſciplina gravis pace beabat agros.
Non memorabo Scholas, quas Gens Hebræa tenebat,
Dogmata quæ cives edocuére ſuos.
Sint licet in dictis ſublimia tradita Ludis,
Non minor idcircò ſpreta palæſtra fuit.
Nec potuit ſperni, ſapientia namque videtur
Creſcere paulatim pervigil hiſce Scholis.
Nunc etiam noſtrâ pietas exſtruxit in urbe
Gymnaſium, juvenes quod bona multa docet.
Hactenus in propriis docuit penetralibus artes
Quisque Magiſter, eas ſuaſit apertus amor.
Pulchrior eſt verò magnæ nunc copula curæ,
Pulchrior eſtque labor, certior atque typus.

Non locus hic tantùm florens trivialia tractat,
Sed raras artes hic quoque Ludus habet.
Sic juvenes doctos Academia clara videbit,
Queîs facili studio tradere magna potest.
Nunc placet ad nostri spumantia flumina Navi
Gymnasium positum voce sacrare bonâ.
Ingenui nunc discipuli recitare jubentur
Libris præclaræ congrua verba Scholæ.
Quid sibi proponant Ludo tractare Magistri,
Noscere nunc etiam, Lector amice, cupis.
Carmina dissimili numero tibi lecta revelant,
Ecce supra nostras aurea scripta fores.
Hæc tibi sancta Domus tradit, studiosa Juventus,
Dogmata, quæ clarè Pagina Sancta docet.
Heic Latii disces, Grajûm Solymæq; loquelas,
Artes præclari Pegasidumque Chori.
Sacra docet Ludus, monstrant documenta juventæ
Notitiamque DEI, notitiamque sui.
Tradimus, ut fuerit primis Ecclesia recta
Temporibus, grandis queîs procul umbra fuit.
Ut monitu Jovæ varias adduxerit umbras
Moses, qui leges juráque multa dabat.
Ut pia gens umbris tandem sit libera densis,
Quæ cessére statim sanguine, Christe, tuo.
Provida sic bonitas Jovæ cognoscitur, atque
Exemplis curas pellere, nate, potes.
Mens tua semper habet JESUM, qui tramite recto
Diriget incessum, donaque larga dabit.
Pergimus ad Linguas, doctus quas coetus honorat,
Quæ Juvenes dociles utilitate beant.
Præ reliquis Cicero dapibus nos explet opimis,
Et pueros Latii dicta polita docet.

Scribere

Scribere verborum discent sic flumine dulci,
Impedient gratos aspera nulla sonos.
Græca docet pueros Pauli doctrina Lycéo,
Et reliqui, Paulum qui comitare solent.
Addimus atque tuos, prædives Homere, lepóres,
Isocratesque tuos, Pythagoræque modos.
Theiologis Hebræa damus præcepta futuris,
Cantica Jessiadæ Grammaticeque probat.
Nunc laudabo bonas, studio quas tradimus, artes:
Grammaticam primâ tollere laude volo.
Scrutatur Latiæ causas industria linguæ,
Hinc bene scit, Scriptor cur ita verba locet.
Rhetorice sequitur, non ut sit garrula lingua,
Sed graviter narret, quæ recitanda putat.
In Logicis resecat doctor resecanda, tenetur
Utile; tum Sophiam sedula cura docet.
Non scriptis laudare placet, quæcunque docemus,
Gymnasium quid agat, nobile dicit opus.
Præcipuus labor est, juvenes formare modestos,
Et fastum nostrâ sic removere Scholâ.
Heu! Studiosa cohors, miserum, plerumque tumescit,
Et reliquos fungos, ambitiose, putas.
Hanc, opus est, labem magnâ convellere curâ,
Ne tandem cathedras inquinet illa sacras.
Nunc igitur, quod sit felix, ordimur amœnam
Curarum seriem, votaque Musa facit.
Optime Lector, ades, nostras & percipe curas,
Atque precare bonæ prospera quæque Scholæ.

(:o:)

Habebi-

HAbebitur in Brabeuterio Gymnasii, die 10. Sept. hora 1. pomeridianâ, Promotionis Actus, in quo etiam Gymnasium præclarè nuper fundatum & felici labore exstructum Panegyricis sudato Scholæ labori pulchrè convenientibus à studiosa Juventute bono cum DEO initiabitur.

GRÆCA ORATIONE

Johannes Nicolaus Kolb, Wöllsteinensis, ostendet, optimum vitæ genus eligendum esse.

LATINIS ORATIONIBUS SOLUTO STYLO SCRIPTIS

Josias Ochsnerus, Heidelbergensis, miserrimam describet Pædagogorum fortunam, & aliam artem amplectendam suadebit.

Johannes Conradus Roos, Crucenacensis, munus scholasticum laudibus efferet, nihilque majus & melius in Rempublicam conferri posse, quàm si Juventus institutis præceptisque bonarum artium erudiatur, exquisitis rationibus confirmabit.

Jacobus Humbertus, Heidelbergensis, demonstrabit atque ostendet, studium Latinæ Linguæ non intermittendum, sed in Scholis retinendum esse.

Philippus Petrus Sixtus, Crucenacensis, monstrabit ea, quæ in Logicis nullum, vel exiguum omnino fructum utilitatis præbent.

Christophorus Henricus Dahn, Meisenheimio Bipontinus, Oratoriæ cancellos circumdabit, ne in odiosam garrulitatem evagetur.

HEROICO CARMINE LATINO

Georgius Petrus Sües, Crucenacensis, verum Poëtarum

Nomen etiam illis addet, qui vel historias, vel res naturales, vel alia veritate nixa carmine decantant.

PANEGYRICO GERMANICO LIGATA ORATIONE SCRIPTO

Johannes Nicolaus Kolb, Wöllsteinensis,
Johannes Andreas Steinerus, Wonsheimensis,
Johannes Nicolaus Kern, Wöllsteinensis.
Johannes Christianus Geneff, Crucenacensis,

Externam Gymnasii nostri faciem describent, & simul, addito omnigenæ felicitatis voto, enarrabunt, quibus artibus ad humanitatem puerilis ætas in eo informetur.

HEROICO CARMINE GERMANICA LINGUA EXARATO

Johannes Wilhelmus Schlöer, Langen-Lonsheimensis,
Philippus Petrus Womrad, Bacharacensis,
Philippus Julius Wensinger, Crucenacensis,

Crucenacum, Urbem Patriæ ornatissimam laudabunt.

His Præmissis, præter eos, quorum assidui labores præmiis decorabuntur, alii ad Studiosorum dignitatem & Auditiones Lectionum Academicarum promovebuntur, inter quos

Augustus Fridericus Fuchs, Monzingensis, suo cæterorumque ad Lectiones Publicas promotorum nomine, pro beneficiis in Gymnasio in se collatis gratias aget.

Post ipsum denique Promotionis Actum

Georgius Emericus Bender, Labenheimensis, prolixè promittet de officiis & observantia, quâ Gymnasium spectatissimos colet Auditores, quorum singularem benevolentiam erga Oratores perspexit, & precibus à Deo immortali petet, ut Serenissimos Patriæ Patres, quorum præsidio Schola nostra floreat, clementer conservare velit. Dabam Crucenaci, Prid. Id. Sextil. CIↃIↃCCVI.

I. Decla-

I.

Declamatio Græca,

Quâ

JOHANNES NICOLAUS KOLB, WÖLLSTEINENSIS,

OSTENDIT,

Optimum vitæ genus eligendum esse.

ὉΘεὸς ἡμᾶς τέθεικε εἰς τοῦτον τὸν κόσμον, οὐχ ἵνα ὥσπερ τὰ ζῶα ἄλογα πλήθωμεν τὴν γαστέρα ἡμῶν ταῖς ἀποφοραῖς ταύτης τῆς γῆς, ἀλλ' ἵνα αἰνῶμεν τὸν θεὸν, σκεπτώμεθα τὰ αὐτοῦ ἔργα, καὶ δοξάζωμεν τὴν δύναμιν, τὴν σοφίαν καὶ τὴν χρηστότητα τοῦ κτίστου, μάλιστα ἵνα τὴν χάριν, ἣν ἐν τῷ χριστῷ σωτῆρι, τῷ υἱῷ τοῦ ὑψίστου ἔχομεν, ἐπιγινώσκωμεν, καὶ ζωκῶμεν, ὥσπερ ἅγιος ὁ νόμος αἰτεῖται.

Ἀλλὰ καὶ ὁ πλησίον ἡμῶν οὐκ ἔστιν ἀμελητέος. Δεῖ γὰρ αὐτῷ, ὅσον ἐστὶν ἐφ' ἡμῖν, ὠφελεῖν, καὶ σώζειν τὸ σῶμα καὶ τὸν νοῦν αὐτοῦ.

Ἵνα δὲ τοῦτο συμφερόντως δύνηται γίνεσθαι, βέβαιον τὸν βίον δεῖ ἐκλέγειν, ἐν ᾧ τὸν πλησίον ἡμῶν ὠφελῶμεν. Οὕτω καὶ ἡμᾶς καὶ ἄλλους ὠφελήσομεν.

Διὰ τοῦτο ἔστω πάντοτε ἐν τῷ νοήματι ἡμῶν ἡ γνώμη ἐνδοξοτάτη, ἣν ὁ Πυθαγόρας φιλόσοφος ἀποτετελεσμένος ἔλεγε, ὥσπερ ὁ Πλουτάρχος μαρτυρεῖται.

Ἕλου τὸν βίον ἄριστον ἡδὺν δὲ αὐτὸν συνήθεια ποιήσει.

Ὁ βίος μὲν τῶν ἀνθρώπων ἐστὶ παμποίκιλος. Ὁ γὰρ ἐστὶ γεωργὸς, ὁ δὲ ἔμπορος, ἄλλος ἐστὶ τεχνίτης, ἄλλος γραμματεὺς, ἄλλος ἐκλέγει ἄλλον βίον. Καλῶς. Οὕτω γὰρ τὴν πόλιν μέγιστα ὠφελοῦμεν. Ἀλλὰ ἐὰν ἔχης καιρὸν καὶ μὴ ἐμποδίζη σοι ἄλλα τὰ πράγματα, ἐὰν γινώσκης, ὅτι ἡ φύσις ἔδωκέ σοι τὸν νοῦν καλὸν, διάνοιαν καὶ μνήμην, δεῖ ἑλεῖν τὸ ἄριστον. Τί δὲ ἐστὶ τοῦτο τὸ ἄριστον. Ἀναμφισβητήτως ἡ παιδεία καὶ ἐπίγνωσις τῆς θεολογίας, τῆς φιλοσοφίας καὶ τῶν παιδειῶν ἐλευθερῶν. Οὕτως ὁ νοῦς τελεῖται, καὶ ὁ ἄνθρωπος τυγχάνει τῆς εὐθυμίας.

Ὁ πόνος μέντοι ἐστὶ μέγας, ῥᾳδίως δυνάμενος ἀποτρέπεσθαι ἐπιτηδευμάτων. Ὁ παῖς ἀποβαλεῖ ἴσως τὰς βίβλους, ἀπολείψει διδασκαλεῖον, οὐκ ἀκούσει τῶν διδασκάλων. Ἀλλ' ἄκουε, τί λέγη ὁ Πυθαγόρας. Τὸν βίον ἄριστον ἡδὺν ἡ συνήθεια ποιήσει. Ὁ ἱδρὼς μέντοι προβαίνει, ἀλλὰ οὗτος ὁ ἱδρὼς ἡδεῖαν ἔχει ἔξοδον. Ὁ πόνος ἐστὶ μὲν δυσχερὴς, ἀλλὰ ἡ συνήθεια ποιήσει ἡδὺν, καὶ κλήσεται τιμὰς καὶ δόξαν.

Ἕτερα μὲν ἀγαθά ἐστι, ἃ οἱ ἄνθρωποι μανθάνουσι, ἵνα δύνωνται ποιεῖσθαι τὸν βίον, καὶ ἄλλους ὠφελεῖν, ἀλλὰ τοῦτο ἐστὶ ἄριστον, σπουδάζειν ἐπὶ ταῖς τέχναις καλαῖς, ἐξ ὧν ὠφέλεια ἔρχεται μεγίστη.

Διὰ τοῦτο ἀλγέω ἐπὶ τοῖς καταχρωμένοις τοῖς δώροις τῆς γνώμης, ἢ ἐπὶ σχολαίοις καὶ χρόνον κακῶς τιθεμένοις. Οὗτοι πάντες πενθήσουσι ποτὲ, ἐὰν οὐδὲν μεμαθήκασι, καὶ οὐδὲν πρὸς τὰ κοινὰ, καὶ τὴν εὐδαιμονίαν ἑαυτῶν καὶ ἄλλων δύνανται συμφέρειν.

Τούτων ἀμελεῖ ὁ ἀγαπῶν τὰς ἀρετὰς καὶ τὰς ἐπιστήμας. Τίς γὰρ ἀγαπᾷ τοὺς αἰσχροὺς καὶ σχολαίους. Ὥσπερ ἀγαπῶμεν τὰ καλὰ, καὶ τοῖς καλοῖς ἑκουσίως συνομιλοῦμεν. οὕτω καὶ ὁ καλὸς συνάπτει ἑαυτὸν τοῖς πεπαιδευμένοις καὶ ἐπιστήμοσι ὠφέλειαν παρεχομένοις.

Οὐδέν ἐστι κάλλιον τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς σοφίας, οὐδὲν ἐρασμιώτερον. Ἐντεῦθεν ὁ Ἀριστοτέλης. Ἐπαινετὰ μέν ἐστι τὰ καλά. Ψεκτὰ δὲ τὰ κακὰ, καὶ τῶν μὲν καλῶν ἡγοῦνται αἱ ἀρεταὶ, τῶν δὲ αἰσχρῶν αἱ κακίαι. Ἐπαινετὰ δέ ἐστι καὶ τὰ αἴτια τῶν ἀρετῶν, καὶ τὰ παρεπόμενα ταῖς ἀρεταῖς, καὶ τὰ γενόμενα ἀπ' αὐτῶν, καὶ τὰ ἔργα αὐτῶν. Ψεκτὰ δὲ τὰ ἐναντία.

Τῆς παιδείας ῥίζα μὲν πικρὰ, γλυκεῖς δὲ οἱ καρποί εἰσι.
Ἐπισκέπτου τὸ ἀπὸ τοῦ Ἡσιόδου καλῶς ῥηθέν.
Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον. Ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.
Οἱ τῆς ἀρετῆς κλῶνες ἱδρῶτι καὶ πόνοις φύονται.
Ἀλλ' Ἀρετὴ ὅσωπερ μᾶλλον ἂν χρῆσθαι θέλῃς.
Τοσῷδε μᾶλλον αὔξεται τελειουμένη.

Νῦν δὴ προσαγορεύω ὑμᾶς, συμμαθηταὶ ἀγαπητοί. Ἠκούσατε, τίς βίος ἢ ἄριστος, οἶμαι, ἔχειν νοῦν ἐπιστήμονα κυβερνῶντα τοὺς ἀνθρώπους ἐν ταῖς πράξεσιν ἑαυτῶν, καὶ δυνάμενον προάγειν εἰς τὰς τιμάς. Μανθάνωμεν σπουδῇ τὰς τέχνας διδασκομένας ἐν τούτῳ τῷ παιδαγωγείῳ ἀπὸ τῶν διδασκάλων ἡμῶν. Οὗτοι θέλουσιν ὠφελεῖν ἡμᾶς. Διὰ τοῦτο ἀκούωμεν αὐτοὺς καὶ δεδιδαγμένα τῇ μνήμῃ κατέχωμεν. Ἐὰν τὸν δρόμον τοῦ βίου σχολαστικοῦ ἀποτελέσωμεν, καὶ ἐν ταῖς ἀκαδημίαις ἐν ἑπομένῳ τῷ χρόνῳ προκόψωμεν, τοῖς κοινοῖς καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ ποτὲ ὠφέλιμοι ἐσόμεθα, ἀπὸ πάντων ἀγαπηθησόμεθα, καὶ ὁ θεὸς ὠφελήσει ἡμῖν πάντοτε, ὃς ποτὲ τὴν ἐπιστήμην ἡμῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς τελείαν ποιήσει.

(:o:)

Oratio II.

Oratio II.
Quâ
JOSIAS OCHSNERUS,
HEIDELBERGENSIS,
Miserrimam describit Pædagogorum fortunam, & aliam artem amplectendam suadet.

SI plerosque ante oculos meos propono, eos suâ sorte non esse contentos deprehendo. Vident illi, ferè cunctos in tota rerum universitate ad altiora adspirare, & ideò cogitationes eorum perturbantur, & dies noctesque in eo versantur, quomodo præsentis vitæ conditionem mutare possint. Hîc unus est, qui alterum videt nummorum suorum acervos numerantem, vel pretiosâ veste incedentem, unde existimat, illi neutiquam cedendum esse; ideò bona corradit, ut superbire possit, & non acquiescit, mediocri conditione, quæ ipsum jubet tenui victu contentum esse & laneâ in patria confectâ veste, quæ ipsum à frigore & pluvia defendat. Ibi alius est, qui plurimos videt ex vili abjectaque vita ad aliquem dignitatis gradum emergentes. Quare id unum studet ambitione impulsus, uti ex pulvere eluctetur, aliis præferatur, & honoribus cumulatus cæteros inter fungos numeret. Ut paucis dicam, quilibet in alio vitæ genere se putat ditiorem vel honoratiorem futurum esse.

Rusticus, qui vitam potest innocentissimam agere, vult civis evadere: civis, qui in sua vocatione utilitatem communi societati potest afferre, his distringitur cogitationibus, ut nobilitatem nummis multo sudore compatatis possit emere. Nobilis, qui sanâ ratione justisque legibus, atque adeò cum maxima lætitia suos rusticos posset gubernare, Comitis dignitatem conatur adipisci, in eum tantùm finem, ut in sublimiori gradu constitutus inter homines vitam possit agere.

Hoſce omnes jure merito vitupero; attamen alios etiam hujus ordinis laudare debeo, ſi videlicet exiſtiment, ſe divitiis acquiſitis plura ſuo proximo officia præſtare, vel honoribus, quos modeſtè ambiunt, majora, quàm anteà, Reipublicæ commoda afferre poſſe.

Nunc in theatrum me ipſum produco, miſerabilem meam conditionem, quam cum meliori commutare fert animus, deſcripturus. Ludimagiſter ſum, & jam complures annos hoc ſaxum volvo, ſed nullum inde ad me lucrum redit, contemtus etiam & ignominia in hoc munere me exſpectant. Quare vitam hanc opibus & honoribus deſtitutam relinquã, & aliam aggrediar, quâ poſſim diteſcere vel honoribus augeri. Quod dum firmiſſimis argumentis oſtendo, quæſo petoque, ut ad breve tempus benevolas mihi aures præbeatis.

In Scholam ingreſſus, quemadmodum hoc ſingulis diebus mihi faciendum eſt, deprehendo adoleſcentes vanitatibus deditos, atque tales, quibus naturalis improbitas adhuc adhæret, ita ut putem, me verſari inter feras beſtias, quæ frænum excutiunt vel ægrè patiuntur. Quemadmodum beſtiis præfectus multum temporis debet impendere, donec leones ad lambiendum genas ipſius loco oſculi aſſuefecerit, & tigres ita docuerit, ut ad nutum ejus ſaltent; ita ludimagiſter quotidie occupatus eſt in coërcendis ferocium puerorum animis, donec bonis moribus aſſueti animum ferocitate exultantem ad pietatis officia converterint. Quin etiam ipſe beſtiarum magiſter adhuc beatior eſt, quòd cunctas ſibi commiſſas beſtias, ſive leones fuerint, ſive tigres, aut urſi, aut lupi, aut aliæ id genus feræ, ad obſequium poteſt cogere. Verùm tantum abeſt, ut ludimoderator omnes diſcipulos in viam rectam poſſit deducere, ut, proh dolor! improbitatem animi retineant, & ad virilem ætatem progreſſi malè de ſuis magiſtris loquantur, convitiis apud alios proſcindant, in iiſque mirabiles de illis ideas generent.

Malo igitur me meo munere abdicare, & utilius quid ad salutem Reipublicæ afferre, quàm tot hominibus ludibrio esse.

Ad hoc aliud accedit infortunium, quòd juvenes plerumque sunt inconsiderati, & æquâ animi lance nondum perpendunt, quantus sit labor, quem Præceptores in iis erudiendis consumunt. Monstratur ipsis via, quâ itur ad tranquillitatem animi; instruuntur illi linguis eruditorum propriis; ostenditur ipsis ex historiis, qua in re homines vel laudem vel vituperationem meriti sint; & si hæc omnia comprehenderunt, atque ex Schola ad vitam liberaliorem, quam in Academiis degunt, transgressi sunt, de collatis in se beneficiis minùs cogitant, quàm hoc lignum, quod pedibus calco.

Igitur ludimagister malè tempus collocat, quod in cuculos ingratos impendit, quin etiam in tales, qui disciplinâ scholasticâ exemti doctorem suum per jocum irrident.

Si inter compotores suos versantur, miserè traducunt eos, qui ipsis aliquando erant præpositi, &, Præceptorem, dicunt, tantâ vehementiâ non debuisse vitia reprehendere; eum potuisse nos laudare, si quid ex Germanico in Latinum sermonem transtulimus, quantumvis licet Germanismis deturpatum fuerit, quia plurimi, qui docti & eruditi habentur, flumen Ciceronis imitari nequeunt: Eum, dicunt, non debuisse versibus componendis ingenium nostrum macerare, & torquere, quia, quamprimùm pedem scholâ extulimus, eum illicò ex Parnasso referimus. In summa, non debuisset nos detinere in pangendis carminibus & aliis artibus, quæ neque sunt victui parando, neque rei nummariæ augendæ.

Cùm igitur videam, me nihil omninò labore meo indefesso efficere, muneri mihi concredito valedicam, & scholam relinquam illis, qui volunt esse infortunati.

Quod si ludimagistrum ipsum considerem, est ille & manet ludimagister, licet omnem diligentiam adhibuerit, &

tot

tot horis sudaverit, cùm alii tempus otiando terant, se hilares inter sodales præbeant, curis se exsolvant, vel eas in melioris notæ vinum immergant. Merito atque optimo jure ludimagistrum comparare possum cum gregario milite, qui longo tempore meruit, multis præliis interfuit, & fortitudinem suam demonstravit. An quæso ille honoratur? an relictâ statione suâ tandem ascendit ad dignitatem militarem, quâ aliis possit mandata dare, rhedâ vehi, vel in generoso equo insidere? Nihil minus. Gravi tandem senio curvatus dimissorias accipit. Tum videat, quomodo se sustentet, & animam trahat.

Ergo ut hoc etiam malum à me avertam, viam atque modum quæram, quo, relictis rebus scholasticis, vitam instituam, ne ex aliorum favore, qui tamen in hoc orbe ferè exulat, pendére debeam.

Deprehendo, me in hoc munere non ditescere, sed potiùs reculas meas jure hæreditario à parentibus ad me devolutas interire. Laboro, desudo, in multam noctem vigilo, ut discipulis meis prosim; sed quid commodi ad me ex cunctis hisce laboribus redundat? Nihil omninò. Mallem esse servus, qui equos in agros agit, & vomere humum sulcat, quàm consequenti tempore ludimagister esse; ille enim lautam mercedem accipit, victum ipsi suus herus parat, securus ille sub tecto dormit, donec illucescit & sol terras suis radiis illuminat; cùm ego è contrario vix famem depellere queam, & vel multas noctis horas in thematibus corrigendis insumere debeam, quorum misera Latinitas me etiam ferè seducit, ut ex iterata harum exercitationum lectione Latinæ linguæ elegantia ex memoria excidat, & ego scribere incipiam ad instar plurimorum, qui sibi videntur plenis buccis fonte caballino labra proluisse.

Quapropter valedico scholæ. Valete discipuli, vos alius instituat, qui his laboribus damnatus est. Non placet esse in

numero

numero eorum,quos Jupiter odit. Vitam mihi proposui aliam, in qua divitias mihi comparare & honoribus augeri queam. Commoda majora indè feram, quàm si in pulvere scholastico consenescam, & tandem ludibrio omnium, qui me audiverunt, exponar.

Oratio III.

Quâ

JOHANNES CONRADUS ROOS, CRUCENACENSIS,

Munus scholasticum laudibus effert, nihilque majus & melius in Rempublicam conferri posse, quàm si Juventus institutis præceptisque bonarum artium erudiatur, exquisitis rationibus confirmat.

QUæ meus Collega de molestiis in munere negotiosissimo locutus est, ea ipsum videntur impellere ad spartam deserendam & aliam vitam instituendam. Verùm in tota ipsius oratione magnam deprehendo ingenii imbecillitatem, & propensionem ad divitias corradendas vel honores vanissimos aucupandos. Ego charitate inductus nil nisi bene judicare volo, atque errores pallio charitatis tegere, quòd persuasum mihi est, eum muneri suo scholastico fidelissimè diligentissiméque præesse, & omnes ipsius cogitationes in eo versari, ut suos discipulos in pietate cæterisque scientiis instituat. Victa est labore magno ipsius patientia, quod etiam probissimo cuique potest accidere. Fateor, meam etiam mentem aliquâ perturbatione interdum moveri, quia vel patientissimus ludimagister sæpe nanciscitur occasionem se contristandi & de prava quorundam puerorum indole conquerendi. Verùm hæc me nunquam movere potuerunt ad munus deserendum & à præstantissimis laboribus desistendum.

Spero, collegam meum suam mentem mutaturum, & suos mecum labores continuaturum esse, si in hac oratione ipsi per-

suasero

suasero; quàm præclarum sit hoc munus; & quòd in regno Dei si non primas, tamen primis proximas habeat.

Quod si igitur munus hoc scholasticum accuratè perpendam, video, nihil majus & melius in Rempublicam conferri posse, quàm si juventus ad colendam pietatem & imbibendas artes liberales adducatur. Testes jam non producam Christianos, qui hoc affirmarunt; neque honestiores inter Gentiles, ex quibus Romanæ eloquentiæ parens summis hoc munus laudibus ornat; sed rem ipsam aggrediar, ex qua hujus muneris præstantia abundè perspici potest. Quænam enim quæso est materia, circa quam ludimoderator versatur? Quinam sunt illi, qui scientiis sunt imbuendi?

Materia, quam tractat, est nobilissima: Nam loci communes, qui in Catechesi continentur & diligentissimè inculcantur, fundamentum Religionis Christianæ complectuntur. Non tantùm verò theoreticè tractantur, sed ex iis etiam adolescentes ad amorem Dei & proximi adducuntur. Et si hæc omnia didicerint atque in succum & sanguinem converterint, possunt esse boni cives regni Christi, & honesta Reipublicæ membra, licet se in cæteris scientiis altissimis non exerceant, uti & discipuli non omnes ad eundem scopum collineant, & multi vel ad mercaturam faciendam, vel ad scripturam, vel ad aliud quid addiscendum vocantur. Quid verò hoc Præceptoris negotio nobilius est, quod sanè cum Doctoribus, qui in Ecclesia Auditoribus viam ad beatitudinem monstrant, comparare, quin etiam iis præferre possum, quia Doctores Ecclesiarum plerumque suam tantùm habent orationem, Scholarum verò Doctores unumquemque sigillatim examinant, discipulis vanitatem exprobrant, virtutum dignitatem extollunt, atque adeo perpetua catechisatione sunt occupati.

Tum linguæ summa cum industria docentur, cumprimis Latina, atque ipsis elegantia illius proponitur, quâ comprehensâ Magnatibus se commendare possunt, quin etiam universam

versam Europam peragrare, & sine impedimento cum doctis singularum Provinciarum aut urbium viris loqui. Porrò inculcantur ipsis artes liberales, Grammatica, Rhetorica, Logica, Poësis & aliæ, quæ bonarum artium studiosum exornant, ipsique celebritatem conciliant. Rudis igitur esset ille, qui alia negotia his artibus nobilissimis vellet præponere.

Quantum nunc ad ipsos scholasticos attinet, sunt illi quidem instar novellarum arborum, quæ, si naturali instinctui permittuntur, facilè in diversum curvantur; sed magnâ illæ curâ & solicitudine diriguntur, ut in justam excrescant magnitudinem & optatos tandem fructus producant. Quid verò præstantius est, quàm istius generis adolescentes, qui in seminario ita educantur, ut aliquando ad Ecclesiam & Rempublicam commodum redundet. Quare meus Collega nunquam mihi persuadebit, ut munus scholasticum rejiciam: ipsum potiùs ab his cogitationibus avertam, & alias & quidem nobiliores in ipso ideas efficiam.

Tractent igitur alii artem equestrem, & indè domitores equorum appellentur, alii ex materie ipsis propria opus faciant, quod ad victum vel amictum pertinet: alii vino, bobus, vel equis divendendis sint occupati; alii alio mercaturæ genere negotientur, quousque placuerit, ego verò in schola manebo, & juventuti optima quæque monstrabo.

Conqueritur meus Collega de exigua mercede, quæ datur ludimagistris, & hac de causa se conferre vult ad aurifodinam, ex qua thesauros, uti ex munitissimis avarorum marsupiis haurire possit. Verùm an ignorat, artes auro non esse venales; laborem, quem in instituenda juventute ludimagistri impendunt, neque æstimari, neque dignum pretium pro eo solvi posse. Nihil nisi demensum suum desiderant Præceptores, &, quicquid faciunt, ex generoso animo faciunt, qui secundùm leges Philosophiæ moralis, quam tractant, bona hujus mundi negligunt, quamvis illa, quod ta-

 men

men rarissimè fit, ipsis offerantur. Et si fortè ab aliis irrideantur, illi tamen in sancto munere pergunt. Maximopere mirantur, homines, qui tamen vitam Christianam profitentur, inveniri, qui Præceptores per omnia Prædicamenta traducunt; valde contristantur, si miserum illius generis hominum Christianismum intuentur, qui non tantùm non in vera Theologia, sed ne quidem in sanis Gentilium dogmatibus profecerunt.

Dicant igitur alii, quicquid in buccam venerit, ego tamen ludimagister manebo, discipulis meis viam, quâ itur ad pietatem, ostendam, linguas atque artes monstrabo, qui labores ad alia me negotia possunt idoneum reddere, cùm è contrario multi, qui insolentiùs de se gloriantur, ne quidem docti Præceptoris munus obire possint.

Oratio IV.

Quâ

JACOBUS HUMBERTUS,
HEIDELBERGENSIS,

Demonstrat atque ostendit, studium Latinæ Linguæ non intermittendum, sed in Scholis retinendum esse.

QUemadmodum unusquisque terram, in qua natus & educatus est, ardentissimè amat, ita etiam omnia, quæ in terræ illius more & consuetudine posita sunt, chara habet. Amat ille formam regiminis, & putat, meliorem hâc non inveniri, & omnia, quæ in aliis terris occurrunt, ad illam exigenda esse. Vestitum aliarum gentium irridet, suumque existimat elegantissimum & commodissimum. Cibus etiam atque potus in exteris nationibus ipsi non sapit, quare domum properat, & illa, quæ patrius focus largitur, concupiscit.

cupiſcit. Licet frigoribus provincia rigeat, glacie fluvii indurentur, maximam anni partem tabernacula nivibus tegantur, nullas tamen ille moras apud exteros nectit, ſed iter maturat, & vel patrium vidiſſe fumum gaudet.

Quid dicam de lingua in patria uſitata? Suam exiſtimat optimam, & in ea clariùs & diſtinctiùs cuncta reddi poſſe, quàm in alia, & propterea non opus eſſe, ut aliæ linguæ diſcantur, & memoria comprehendendis ſermonis exotici vocabulis maceretur. Indè eſt etiam, quòd multi exiſtiment, artes atque ſcientias vernaculâ tradendas eſſe & tempus lucrifaciendum, ut potiùs in rebus addiſcendis bene collocetur, quàm peregrinarum vocum comprehenſione inutiliter teratur.

Hanc verò opinionem non omnino probandam, ſed Latinam Linguam in Scholis etiam tradendam eſſe, paucis demonſtrabo atque oſtendam.

Poſtquam Romani orbem in ſuam poteſtatem redegerunt, linguam ſuam etiam unà cum Imperio in provincias intulerunt. Ab eo tempore in Europa manſit, & quælibet natio præter vernaculam hanc etiam addidicit. Non quidem omnibus communis fuit, attamen in ſingulis provinciis quidam fuerunt, qui eam amore amplectebantur. Nunc in Scholas eſt relegata, & nulla eſt doctrina, quæ Latino ſermone Auditoribus non tradatur. Atque adeò beneficiis humano generi donatis hoc eſt annumerandum, quòd hæc lingua in Scholis adhuc exerceatur. Quòd ſi hoc non eſſet, quomodo in finitimis regnis feliciter agere poſſem, ſi cum incolis converſandum eſſet? Ego non poſſem ipſos, neque illi me intelligere, & ita cum mutis comparandi eſſemus, qui cum maxima difficultate vel nutu vel ridiculis geſtibus aliis animi ſenſa manifeſtare ſolent. Et ſi nullius rei communione juncti eſſemus, magnum tamen in meo Muſéo incommodum deprehendo, ſi imperitus experſque Latinæ lin-

guæ essem. Latino sermone præstantissimi Autores sunt exarati, quare trahit me voluptas illos intelligendi, mentemque meam rerum in illis contentarum meditatione perficiendi. Cùm in omnibus Universitatibus Latinè doceatur atque scribatur, mentis meæ compos non essem, si tantùm vernaculam æstimarem. Quis me ad veram sapientiam duceret, si doctorum interpretationes non intelligerem?

Verùm, inquies, plurimi libri vernaculâ sunt scripti, quos consulere & ita veritatem ex iis haurire possumus, uti Gallica natio non malè facit, quæ optimos Autores in linguam suam transfert, & alias res pulcherrimas ex ingenio suo invenit, easque sermone suo scribit, ita ut Gallicæ etiam mulieres sapientiam comprehendendi occasionem habeant. Fateor, immo contrarius esse nollem, si hoc inter omnes populos & nationes usitatum esset; attamen hoc indè incommodum exsurgit, quòd nescire possim, quid in illis contineatur, nisi etiam Germanicè loquantur. Idem Hispanus, Anglus, Italus, Suecus & alii populi dicent, nisi etiam suâ cujusque linguâ loquantur. Annon igitur præstat, eos in linguam eruditorum propriam, nempe in Latinam transponi, ut à bibliopolis libri per cunctas provincias distrahi possint.

Ad hæc natura hujus linguæ tam præstans est, ut cum Græca cæteras omnes nobilitate superet. Si libros intueor solutâ oratione scriptos, intelligo cumprimis Ciceronem, eosque, qui illum imitantur, quàm suaviter verborum sonus eorumque connexio in aures illabitur? Quàm validè rapiunt lectorem & semper ad legendum eos excitant? Et profectò nullæ deliciæ ita palato meo sapiunt, uti animo meo mirabilis verborum compositio, quibus res suas Scriptores præstantissimi exornârunt.

Si Latinos Poëtas evolvam, quàm elegantes in iis phrases reperio? Quàm peritè verba sua rebus accommodant? Vix credi-

crediderim, res illas in aliis linguis tam ornatè politéque exprimi posse. Quare stolidus essem & rudibus annumerandus, si Latini Poëtæ à me pro nihilo putarentur. Quamvis non semper inveniam homines, qui Poëtarum lectione, proh pudor! delectantur, animo tamen meo, si eos legero, satisfacio. Quin etiam tempus in iis pervolutandis optimè colloco; & si videatur animus torpescere, illum, legendo vates castissimos, excito; immo si tristitiæ me tradidero, egregiam pulcherrimi Poëtæ alacritatem animo iterum addunt.

Amabo igitur Latinam Linguam, dum spiritus hos artus regit, & simul meos condiscipulos volo monitos, ut eam diligenter excolant, præstantissimos Autores pervolutent, & nullum temporis momentum in Pædagogéo præterire patiantur, quo in ea lingua non faciant progressum, ut aliquando sibi & aliis emolumento esse possint.

Oratio V.

Quâ

PHILIPPUS PETRUS SIXTUS, CRUCENACENSIS,

Monstrat ea, quæ in Logicis nullum, vel exiguum omnino fructum utilitatis præbent.

CONsideranti mihi tempora nostra, cumprimis ideò beata prædicanda sunt, quòd artes & scientiæ nunc in summo gradu floreant atque vigeant. Tot terminis olim Philosophia erat referta, ut lector sæpenumero nesciverit, quam illi significationem habeant; immo etiam viderit, eos nihil omnino significare. Quantopere torquebantur ingenia in illis addiscendis, & tamen per illos ad veram rerum cognitionem non est perventum. Ut paucis complectar, nil nisi garrire discebant, & sensus à verbis

bis ita remotus erat, uti cœlum à terra. Illi, qui hunc philoſophandi defectum animadverterunt, omnia nunc inutilia vocabula eliminârunt, & res etiam majori fundamento ſcrutati ſunt, quàm veteres, quorum maxima pars de cortice tantùm ſolicita fuit.

Sermo meus hâc vice tantùm erit de Logica: hæc à priſcis & veteribus ita propoſita fuit, ut recentiores multa inveniant, quæ ex artium regno proſcribant. Verùm hodie tam clarè diſcipulis oſtenditur, ut cogitationes maxima cum lætitia in ea occupentur. Attamen hæc ars ita non eſt purgata, quin dogmata in ea adhuc inveniantur, quæ ad ſcientiarum incrementum non pertinent, immo jure merito omitti poſſunt.

Propoſui mihi nunc pauca, & quidem ex tribus Logicæ gradibus examinare, & exiguum eorum commodum oſtendere: quod dum facio, ad breve tempus me patienter audite.

Initium facio à prima mentis operatione, quæ thema ſimplex pro objecto habet. Diſco ibi res dividere in ſpirituales & corporeas; ſpirituales in Ens infinitum ſive ſummè perfectum, & finita ſive minùs perfecta, & hæc iterum in Angelos & animas rationales: corpora verò in lucida, pellucida & opaca, quæ ex tribus, uti neoterici numerant, elementis conſtant. Invenio verò etiam in Logica doctrinam, quæ aliam mihi viam monſtrat, nempe ut ſciam, in qua Categoria entia ſtrictè dicta ſint, vel eorum accidentia. Sed ſi hanc doctrinam accuratiùs conſiderem, videre nequeo, quomodo illa me ad rerum cognitionem adducat. Sapientior enim inde non fio, quantumvis ſciam, arborem magnam eſſe vel parvam, hujus vel illius poſſeſſoris eſſe, ad ripas fluminum illam majori incremento augeri, quàm in montium altitudine, illam curvam eſſe vel rectam, & cætera de genere hoc: item ſi ſciam, homines eſſe vel gigantes vel pygmæos,

domi-

dominos vel ſervos, alios eſſe negotioſos, alios inertes & fuſtuario dignos; alios in urbibus, alios verò in pagis habitare; illos hodie vel heri aliquid egiſſe, munere ſuo functos eſſe vel ſedentes, vel ſtantes, vel currentes; illos togâ vel ſago indutos eſſe.

Cuncta hæc, inquam, quæ modò recenſui, me non reddunt ſapientiorem. Interim ne omnia rejicere videar, duæ à me Categoriæ excipiuntur, nempe Subſtantiæ & Qualitatis, quæ mihi dant anſam ad res ulteriùs quærendo inveſtigandas. Quin etiam cæteras Categorias laudabo, non verò quatenus Logico utilitatem pariunt, nihil enim minus eſt; ſed quatenus Orator iis uti poteſt, ut uberiùs declamare poſſit, cùm ipſius oratio ex probabilibus potiùs conſuta ſit, quàm ex iſtius generis rationibus, quæ naturam & diſpoſitionem omnium rei partium oſtendunt.

Venio nunc ad alteram mentis operationem, quæ circa judicium verſatur. Hîc obtutui noſtro exponuntur Enunciationes, quæ quidem magnam in lectione Autorum utilitatem habent; ſed cui uſui ſunt illarum Converſiones? plus illæ ſanè ſubtilitatis continent, quàm utilitatis, atque ego exiſtimo, tutò illas tranſiliri poſſe. Dictitant Logici, eas in eum finem addiſcendas eſſe, ut Secundæ & Tertiæ Figuræ Syllogiſmi ad perfectionem Syllogiſmorum Primæ Figuræ reduci poſſint. Sed quam hæc reductio utilitatem habeat, videre nequeo. Perturbat potiùs hæc doctrina ſcholaſticam juventutem, & præſtitiſſet pro hac inani ſcientia aliquid melius didiciſſe.

Quòd ſi igitur nunc oſtendero, doctrinam Syllogiſmorum non tanto cum ardore tradendam eſſe, pleraque etiam de Converſione ſimul cadent. Et hoc eſt tertium, quod in Oratione mea tractandum mihi propoſui. Mens hominis nunquam eſt otioſa, ſemper negotioſa; non moratur longiùs in una re, niſi neceſſitas hoc flagitet; tranſit è veſtigio

ad aliud quid, cujus meditatione occupetur. Illa rem ita considerat, ut statim argumenta proferat, quorum auxilio incognitionem illius perveniat.

Ex his statim colligi potest, Syllogismos non esse usque adeò necessarios. Tantum abest, ut syllogisatio perfectionem, ut potiùs imbecillitatem mentis arguat. Modus ille cogitandi, qui uno intuitu fit, longè perfectior est, quàm ille, qui diversas propositiones inspicit, & unicuique ex illis assentiri debet. Atque hæc est ratio, quare doctrinis eruditi nunquam Syllogismis in suis dissertationibus utantur, quia facile perspicere possunt, utrum Terminus medius Subjecto & Prædicato conveniat. Ipsi etiam Oratores hoc confirmare debent. Non cudunt illi in suis Panegyricis Syllogismos, sed plerumque Enthymemata, ne contra auream hanc regulam peccent: quod fieri potest per pauca, frustrà fit per plura.

Interim libenter fateor, doctrinam de Syllogismis in Scholis tradendam esse. Cùm enim discipuli adhuc sint hebetes & imbecilles, atque intellectus formari debeat, ideò necesse est, illos ab una propositione ad alteram duci. Atque adeò comparari possunt cum Abecedariis, qui non statim possunt sententiam legere, sed primò discunt literas pronunciare, deinde syllabas colligere, tum vocabula recitare, dum integram sententiam legere possint. Jam si eò usque progressi fuerint, ut promtè possint legere, stultè utique agerent, si in colligendis vocabulorum syllabis tempus terere vellent. Ita docti ratione suâ rectè non uterentur, si multas propositiones vellent conficere, & singulas sibi tamen notas, quemadmodum legentibus pueris literæ cognitæ sunt, examinare.

Ergò non satis à me prædicari potest illa Schola, in qua obscura, inutilia, vel exiguam utilitatem promittentia resecantur, & è contrario istius generis res tractantur, quæ disci-

D pulos

pulos ad veram ſapientiam ducunt, quæ tandem eos in virorum doctrinâ & eruditione excellentium numerum adſcribere poteſt.

Oratio VI.

Quâ

CHRISTOPHORUS HENRICUS DAHN,

MEISENHEIMIO BIPONTINUS,

Oratoriæ cancellos circumdat, ne in odioſam garrulitatem evagetur.

INter omnia corporis humani membra, quæ Deus homini largitus eſt, lingua non eſt poſtremum. Cætera membra homo in ſuum uſum adhibet, ſive illis alimenta quærat, ſive illorum ope ſe in meditationibus rerum divinarum exerceat. Oculis cibum videt manibus apprehendendum: auribus percipit illa, quæ terrent vel exhilarant: pedibus ambulat in locum, qui utilitatem afferre poſſit. Cæteris membris eadem poteſt efficere, quæ ad corporis ſui ſuſtentationem ſunt neceſſaria.

Lingua tamen, quod antè dixi, inter omnia membra præcipuum eſt. Hâc celebramus Creatorem, & alios ad laudem illius adducimus. Ex his videmus, orationem linguâ pronunciatam maximè neceſſariam eſſe, ut homines in via virtutis ope illius dirigantur. Jam verò quemadmodum oratio eſt diverſa, ita etiam diverſa ſunt argumenta, & interdum quidam exigui ponderis atque momenti, ut ſæpe ſatius fuiſſet, nihil, quàm inutiliter locutum eſſe.

Dum igitur genuinæ Oratoriæ naturam verbis pauciſſimis, quòd mei condiſcipuli bonam temporis partem mihi eripuerunt, propono, aures veſtræ, quemadmodum anteceſſoribus meis, ita etiam mihi pateant, quæſo petoque.

Si homini aliquid persuaderi debet, plerumque paucorum verborum auditione non vult esse contentus, sed quò longior est oratio, & quò pluribus exclamationibus aliisque flosculis est exornata, eò majori etiam delectatione audiendi ducitur. Sed quis ille est, de quo loquor. Imperitus est & rudis in rebus, & à qualibet oratione circumducitur, & sæpenumero minimè laudanda laudat. Atque adeò accidit ei, quod illi servo, qui dominum suum audivit recitare orationem verbis sesquipedalibus nihil tamen complectentibus instructam, & Jovem lapidem juravit, se nihil pulchrius unquam audivisse, licet ne verbum quidem intellexerit.

Quòd si verò auditor aliquam rerum cognitionem habeat, prolixior oratio facilè fastidium pariet. Qua de causa? Primaria ille argumenta scire desiderat, quibus Orator suam orationem demonstrat. Hanc verò non est necesse multis ambagibus amplificari; hoc enim modo facilè fieri potest, ut extra cancellos evagetur, & dignosci nequeat, utrum ad causam pertineat, an verò sit nugatoria. Unde si quorundam Oratorum sermones, qui eos ad regulas Rhetoricæ Aristotelicæ exigunt, conferam cum Psalmis Davidicis, vel aliis sanctorum orationibus, blaterones admirari debeo, qui multa garriunt, quæ tantum abest ut pietatem excitent, ut potiùs eam deleant.

Sumit Orator multa ex artibus argumenta, quæ Loci tanquam myrothecia suppeditant, ex quibus illa instar medicinæ depromuntur. Jam verò scimus illa plerumque esse probabilia, quæ opinionem tantùm pariunt, & non certa & firma, quibus scientia comparatur. Cur igitur occupatus sim in tali oratione facienda vel audienda, cùm tempus meliùs collocare possim. Et sanè si Romanæ eloquentiæ parens tantâ verborum elegantiâ non scripsisset, orationes ipsius omnino non legerem. Tam multa de re ille garrit, ut lector illa facilè fastidire & odisse possit: interim quia elocutio

cutio ejus est elegantissima, ideò me lepóre suo detinet, & lectionem intermittere nequeo, donec mens mea longo tempore pòst defatigata fuerit.

Verùm dices, hâc ratione ex Oratore Dialecticum vis facere, & non esset opus Oratoria, in qua bonarum artium studiosi instituerentur. Respondeo, illam utique esse necessariam. Licet enim Dialectica, quæ cum pugno comparatur, argumenta quærat, non tamen sufficit, si auditor persuaderi debet, nisi eleganti verborum connexione ampliùs exornetur.

Utitur Orator utique Tropis & Figuris. Amplificare debet Orationem, dummodo nugatoriæ non sit similior, quàm sanæ. Affectiones ille animi movere debet, cæteroquin oratio agro parùm fertili simillima erit. Sed manendum est in proposita materie, & cavendum, ne extra oleas vagetur. Si hoc non fecerit, auditor nesciet, ubi suæ cogitationes versentur.

Quod si igitur oratio à me sit habenda, materiam, quæ tractanda est, inspiciam, eamque accuratè premam. Si gravis est, argumenta depromam, quibus illa sine contradictione confirmatur, eamque prolixiorem componam, quòd breviter illa scribi nequeat. Sin levior sit, atque adeò paucis explicanda, ex musca sanè elephantum non faciam. Sic laudem boni Oratoris aufero, & auditores doctiores reddo, si rebus minimè necessariis ipsorum aures non obtundam, sed rationibus ex intima Philosophia depromtis eorum auscultationi satisfaciam.

(:o:)

Oratio VII. Metrica,

Quâ

GEORGIUS PETRUS SUES, CRUCENACENSIS,

Verum Poëtarum nomen etiam illis addit, qui vel historias, vel res naturales, vel alia veritate nixa carmine decantant.

Diversis diversa placent, variique reguntur
Mentibus incertis homines, sententia laudem
Hæc habet, illa statim fastu removetur iniquo,
Vera sit illa licet. Græcos si mente voluto
Et Latii cives, ingentem cerno catervam
Illorum, variis qui se torsére figuris,
Dum secreta notant, mundus quæ continet omnis,
Dum motus animi, morum vel dogmata tradunt.
Est alius, rerum cui sunt primordia lymphæ;
Est alius, qui templa Poli stellasque micantes
Principii facit expertes; connexa videtur
Ex parvis atomis ingens hæc machina multis.
Illos quid memorem, scriptis qui dogmata morum
Commisére, suis & fraudibus omnia turpant.
Heu! putat illa cohors, summum consistere finem
In miseris opibus; pars altera quærit honores,
Altera deliciis inhiat, luxuque pudendo
Membra fovere Bonum summum putat. Omnia rixis,

Omnia

Omnia clamosis, heu! plena fuére libellis.
Ambitio miseræ dictavit talia turbæ;
Hâc ductæ statuunt non convenientia gentes.
Hos nunc prætereo, quorum sapientia vana
Desipuit: mihi nunc aliud perpendere dogma
Decretum, quod vult, illos non esse Poëtas,
Qui sacra conscribunt, Sophiæ qui dogmata tractant,
Historiasve canunt quantumvis carmine dulci.
Ad breve nunc tempus doctas accommodet aures
Illustris cœtus, paucis ego cuncta docebo.
Qui dant pangendi carmen præcepta Poëtis,
Dicunt, quòd debent fictas res addere veris,
Et, quæ circumstant, multis describere verbis,
Quantumvis nullis sint hæc conformia gestis.
Virgilius sanè siccus sterilisque fuisset,
Historiæ tantùm seriem si carmine docto
Narrâsset; si, quid Dido Regina, quid audax
Egerit Æneas, filumque fidemque secutus
Historiæ scripsisset. Amans hinc nominis Autor
Virgilius sua Scripta probat, famamque tuetur
Egregiè libro, titulum cui sedulus indit
Attica Pontanus Bellaria. Dicit in illo
Nobilis hic vates: variis mea comere rebus
Carmina debebam; laudes sic, optima Dido,
Attribui tibi majores, & origine clarâ
Roma magis potuit se tollere viribus ingens.

Nomine

Nomine ſic vero, veri ſic Vatis honore
Gaudet, ut illa cohors loquitur, qui dicta notavit.
Sed veſtra cum pace loquar: cur reddere nomen
Vatibus haud vultis, vario qui carmine ſcribunt,
Qui tardos celeresque pedes, uti regula poſcit,
Componunt, nudum qui miſcent carmine verum,
Hiſtoricè qui rem pertractant, quique globoſi
Exponunt mundi naturas, impia culpant
Crimina, virtutes cunctas ad ſidera tollunt.
Quis neget, hos, quæſo, genuinos eſſe Poëtas,
Sit licet ex regno Muſarum fabula pulſa?
Nomine ſi Vatis dicatur is, omnia rebus
Qui fictis, qui commentis ſua carmina fucat;
Cur, qui vera canit, non ſit magis ille Poëta,
Quique ſuis miſcet pulcherrima Schemata verbis.
Lucanum mea jure vocant nunc verba Poëtam,
Hiſtorias licet ille notet: Lucretius ergò
Eſt itidem Vates, rerum qui dicere cauſas
Ex placitis, Epicure, tuis, placitisque periti
Democriti novit: rectè tu, Nonne, Poëta
Diceris, hiſtoriam Chriſti qui carmine ſcribis:
Atque Palingenius Stellatus jure vocatur
Vates, Zodiacum vitæ ſeu dogmata morum
Hexametris claudens. Mitto nunc agmina Vatum,
Davidicas qui traducunt feliciter odas
Teutonis in linguam, Latii ſeu verba ſonora,
Ut ſunt inter eos Buchananus, Opitius, Haſſus

Helius:

Helius: hos omnes cur non ego nomine Vatum
Sanctorum dicam, numero quis ſeparet illos?
Quocirca ſtudium, paucis quod ſidera donant,
Continua, mea mens. Si carmina triſtia condo,
Ex ſacris ſumam ſolatia dulcia libris,
Quæ mortem faciunt gratam: ſi laudo jugales
Tædas, non Venerem, non Numina vana Deorum
Inducam; ſed vota feram, quæ Pagina dictat
Sancta, novisque canam felicia cuncta maritis.
Si fluvios, ſilvas, Reges & mœnia laudo,
Hoc faciam verè, ſicut res ipſa videtur
Poſcere: ſic ero vir ſimplex dexterque Poëta,
Non adſcribar iis, qui ſueſcunt dicere falſa
Temporibus de præteritis & fallere tardos.

Panegyricus VIII. Germanicus ligatâ oratione ſcriptus,
Quo
Johannes Nicolaus Kolb, Wöllſteinenſis,
Johannes Andreas Steinerus, Wonsheimenſis,
Johannes Nicolaus Kern, Wöllſteinenſis.
Johannes Chriſtianus Geneſſ, Crucenacenſis,
Externam Gymnaſii noſtri faciem deſcribunt, & ſimul, addito omnigenæ felicitatis voto, enarrant, quibus artibus ad humanitatem puerilis ætas in eo informetur.

Pars I.

Geſellig iſt der Menſch / der in die Welt gebohren
Zu ſeines Schöpffers Lob; deßwegen er erkoren

Ein Leben / darinn Er sich guten Nutzen mach' /
Und auch behülfflich sey ein's andern Menschen
Sach.
Wir können freylich nicht Gesell-und Hülff-los leben /
Sonst würden wir sehr offt in Noth und Jammer
schweben.
Das muß uns weisen schon der Kinder zarter Leib /
Sie lieben Hülff / damit dieselb' die Schwach-
heit treib'
Und and'res Ungemach von Ihnen. Wann Sie solten
Allein gelassen seyn / und wann Sie gehen wolten
Zulangen eine Speiß / so würde fehlen Krafft /
Dieweil es noch gebricht an starcker glieder Safft.
Komm' ich zum Menschen nun / der seine Jahr'
erlanget /
Und in der grossen Welt zu leben recht anfanget /
So macht Er sich dahin / wo wohnt der Burger
Zahl /
Da hat Er häußlich sich zu setzen gute Wahl.
Es sey / daß in der Stadt Er wil die Wohnung
machen /
Wo nicht / doch in dem Dorff wil leben mit den
Sachen /
Die Er mit sich gebracht / so find't Er an dem Ort
Ein' gute Hülff und Trost bey Menschen fort
und fort.

Und das das beste ist: Er findet Obrigkeiten /
Die wie die Vätter hier die Unterthanen leiten /
Damit es gehe wol in eines jeden Hauß /
Und Unfried / Ungemach und Unstern bleibe drauß.
Nun wie ein grosser Bau gar lang nicht kan bestehen /
Wann er ist ohne Grund; dann wañ die Winde wehen
Und stürmen wider ihn mit ihrer grossen Wut /
So kan es leichtlich seyn / daß einen Krach er thut.
Also wann in dem Land nur eitle Menschen leben /
Und die Unsinnigkeit und doller Sinn nur schweben
In solchem Land / so muß es freylich geh'n zu Grund /
Es fehlt am Fundament / unglücklich ist die Stund /
In welcher solcher schwarm ist in das Land gekomen.
Wann Boßheit hat darinn die Oberhand genomen /
So kracht das Regiment / die Wohlfart wird verstört /
Das Glück hinauß gejagt / nur böses wird gehört.
Was ist doch wol die Schuld an diesem bösen Wesen?
Warum hat solche Rott so schändlich außgelesen
Den schlimmen Lebens-Stand? Sie haben leider! nichts
Gehalten von der Schul: ach Jamer! da gebrichts.
Sie haben liederlich entweder fahren lassen
Die Lehrer / oder nichts in Schulen wollen fassen /
Das zu der Fromkeit dient. Ach leider! dañenher
Ist dieser grosse Wust / so von der Tugend lär.

O wie ist dann die Schul so nöthig! was kan zieren
Mehr eine Stadt und Land / als Schulen / welche führen
Die Seel zur Gottes-Furcht / und zu deß Nechsten Lieb /
Durch Gottes reiche Gnad und seines Geistes Trieb.
Die Schulen / sag' ich / die der Jugend ernstlich preisen
